



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

Tit. III. De Procvratoribvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

## DE PROCURATORIBVS. Tit. IIII.

Qui à fori Ecclesiastici auditorio arceantur, & eius ministri,  
à quibus caueant. Cap. I.

**P**ROCURATOR, qui causam iniquā in foro Ecclesiastico scien-  
defenderit: qui ve quicquam negauerit, quod Verum scierit  
fori Ecclesiastici auditorio, aditue interdicitur, nisi is le-  
gitimè se purgarit. Qui præterea in publico concubinato  
aut adulterio viuunt, aliq̄ publicè criminosi, à foro Epi-  
scopali ita arceantur, vt nec Notarij, nec Procuratoris  
nec Aduocati officium, ne in vllò quidem causarum genere, gerant. Inferio-  
res quoque ministri in Christiana Vita officijs contineantur: curentq̄ Epi-  
scopi, vt à ganeis, à meretricibus, à ludo cuiusuis generis, ab improbatis que-  
stibus abtineant, ne blasphemii sint, nec vitæ moribus reprehendendis, /  
quos deliquisse, compertum erit, in eos animaduertatur.

## DE IURE IVRANDO. Tit. V.

Iuramentum à curato præstandum. Cap. I.

**Q**UI CVMQVE Parochiali Ecclesie præficiendus erit, is primum  
Episcopo, vt iam in nonnullis huius provincie Ecclesijs consue-  
tudo est, iuret se Sancte Sedi Apostolicæ, & Episcopo, eiusq̄  
item successoribus obedientem fore.

Tum præterea se ad Tridentini Concilij præscriptam rationem, residentem  
in Ecclesia futurum, quam obtinuerit.

Tum iura etiam illius Ecclesie se pro viribus conseruaturum, ac defensu-  
rum esse.

Bona denique eiusdem se absque legitima auctoritate non alienaturum;  
que verò antea ab ijs, qui illius curam gesserunt, iniuste, vel vendita, vel alio  
quouis modo alienata sunt, ea, quantum in se est, recuperaturum.

Iuramentum, ab obtinentibus dignitatem, vel Canonicatum  
præstandum. Cap. II.

**E**GO N per hæc Sancta Dei Euangelia iuro, me, neque precibus, neque  
pretio, neque alia ratione egisse, aut aliàs curasse, quominus hoc experi-  
mentum in mei approbatione ad exercendum officium meæ dignitatis, vel  
Canonicatus, integrè, fideliterq̄, fieret; sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta  
Dei Euangelia.

Iura-